

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-244289-p0002-3

DFG

*1706 13<sup>af</sup> 77  
78*

# DISPUTATIO JURIDICA DE INTERCESSIO- NE INNOCENTUM,

Quam

DEO TER O. M. ADVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. PHILIPPO VVILHELMO,  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE, CETERA,


IN

ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R Ä S I D E  
JACOBUS FRID. LUDOVICI,  
J. U. D. P. P. & Fac. Jurid. Adseß.

*Ad d<sup>o</sup>XII April. MDCCVI. H. L. Q. C.*  
Placido Eruditorum examini submittit  
IMMANUEL Niß/Stargardia Pomeranus.

---

Typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



*VIRIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS,*

**DN. LAURENTIO RANGONI,**  
J<sup>c</sup>to consummatisimo, Scabinatus Regii, qui  
Stargardiæ est, Directori gravissimo, nec non Statu-  
um Provincialium Pomeraniae Borussicæ  
Syndico, cetera,

**DN. IMMANUELI VVENDT-  
LANDT,**

J<sup>c</sup>to celeberrimo, Comiti Palatino Cæsareo,  
S. Reg. Majest. Consiliario & Regiminis in Po-  
merania Borussica Archivario, cetera,

**V I R I S**

*Affinitate & cognatione mihi conjunctis, omniq;  
cultu & observantia eternum prosequen-  
dis, venerandis,*

**FELICITATEM!**



Vod si clientem Mæcenatis  
sui favor ita adstringere va-  
let, ut, nescio quibus offi-  
ciorum generibus, dignam  
reddere vicem omni alla-  
boret modo; Suffundor e-  
go sane rubore, cum quidem de insigni  
Vestro affectu ac benevolentia erga me &  
lætari sum: in opere mihi gratulari satis  
queam, ast vero ad remunerandum facultas  
nihil plane mihi unquam suppeditarit, præ-  
ter

ter voluntatem. Sufficere tamen & hanc  
potuisse crederem , conscius nempe me-  
diocritatis meæ , si nec in ostendenda illa  
ac bene probanda ita plane hac tenus de-  
fecissem. Ne ergo diutius & in hac offi-  
ciorum parte , quam quidem minimam ef-  
fe lubens fateor , peccare prolsus videar ,  
hasce Vobis in præsenti offerre pagellas ,  
Vestrīsq; Amplissimis Nominibus dedica-  
re eo minus dubitavi , quo scio gratum hoc  
munus Vobis esse futurum , ob singula-  
rem plane favorem , quem rebus literariis  
earundemque cultoribus lubentissimo ani-  
mo Vos indulgere novi. Imo plane mihi ha-  
beo persuasum , haud posse displicere labo-  
rem , illum quidem , ad quem subeundum  
ipsis Vestrīs consiliis adductum me quon-  
dam bene memini. Addidit præterea ani-  
mum , propinqua inter nos affinitatis &  
cognitionis conjunctio , de qua uti mihi  
certo possum gratulari , ita sane spem facit

arctis

is  
a-  
i-  
n  
a-  
e-  
ni  
&  
ti-  
as  
e-  
ter

arctissimum illud vinculum certiorem, fore ut non tam rei oblatæ qualitatem, sed potius intentionem offerentis, qui quantum Vobis debeam publice cupio deprædicare, consideretis, & si quid levitatis forte, aut temeritatis huic conatui meo inesset, ignoscendum mihi potius putetis, quā despiciendo ruborem mihi iniciatis atque pudorem. Quod reliquum est, sumnum Numen supplex veneror & adoro, velit diutius Vos servare incolumes, atque ita dirigere consilia Vestra conatusve cunctos ut dilectissima Patria, splendidissimaque Familia Vestra ut & plurimi alii cum me clientes permultos adhuc annos de integritate, cura, atque consiliis Vestris sibi gratulari queant. Denique patrocinio Vestro atque favori me etiam atque etiam commendo. Dabam in Academia Fride-  
riciana d. III April. Anno MDCC VI.



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
INTERCESSIONE INNOCENTUM

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

*Vocabulum Intercessionis dupliciter accipitur. Primus significatus §. I. Secundus significatus, qui iterum duos distinctos casus sub se comprehendit. Quinam significatus ad nostrum scopum pertineat? §. II. Alia distinctio intercessionis. §. III. Jus primiarum precum est species intercessionis extra causum commissi delicti. Diploma ejus solent vocare: Panisbrief. §. IV. Exercet hoc jus Imperator in Episcopatibus, etiam si Confessioni Augustana addicti sint, cum certis tamen limitationibus. §. V. Imperatrici etiam jus primiarum precum competit. §. VI. Item Principibus Evangelicis in suis territoriis, nec non Principissimis. §. VII. Hujusmodi intercessiones involvunt necessitatem & sic iussa potius & mandata sunt, quam vere sic dictae intercessiones. §. VIII. Intercessionum necessitatem non involventium infinita sunt species. Singulare exemplum de jure intercedendi, quod Regi Svecie & Aug. Conf. Ordinibus ex Instrumento Pacis Osnabrugensis competet. §. IX. De intercessoribus in casu commissi ab altero delicti. An pro reo criminis latae Majestatis intercedere liceat. §. X. Rationes pro negativa. §. XI. Quae legum autoritate quoq. stabilitur. §. XII. Hic rigor legum cum effectu intelligi debet, contra Scipionem Gentilium. §. XIII. Quomoao hæc à Doctoribus imitentur § XIV. Advocati cau-*

4  
CONTENTA

Jam delinquentium agentes non censentur intercedere & sic ad eos dispositio legis male extenditur. §. XV. Prohibita intercessio pro duellantibus §. XVI. Intercessio a quibus & ubi fieri solet. §. XVII. De intercessione in crimen adulterii simplicis. §. XVIII. Iudex ex officio etiam partem innocentem interrogare potest, annon intercedere velit, quod eo magis obtinet, si pars nocens hoc expetat. §. XIX. In mulieris intercessione an etiam curatoris consensu opus sit? §. XX. Forum intercessio. §. XXI. Quamdiu locum ea habeat §. XXII. Uxor intercedens maritum exulem sequi tenetur, non tamen ex capite pene. §. XXIII. De intercessione in duplicato adulterio. §. XXIV. Num etiam, si uterque conjugum adulterium commiserit, intercessio locus sit? §. XXV. Ad duo dubia Carpzovii, que pro affirmativa habet, respondetur §. XXVI. Ad tertium dubium respondetur. §. XXVII. Intercessio non proficit tertio, qui cum conjugi nocente concubuit §. XXVIII. Respondetur dissentientibus. §. XXIX. Intercessio non habet effectum, si pars innocens haud amplius velit coabitare nocenti. §. XXX. Effectum tamen habet, licet pars nocens illam non acceptet §. XXXI. Intercessio non debet esse conditio nata. Respondetur Carpzovio, qui talem pro pura habendam esse afferit. §. XXXII. De aliis questionibus huc pertinentibus remissive. §. XXXIII. Quid in crimen Raptus. §. XXXIV. Quid in stupro violento. §. XXXV. Transitus ad personas intercedentes, que a delinquente non sunt lesa. De intercessione amicorum aliorumq. conspicuorum virorum. §. XXXVI. Respondetur ad causum a Keysero adlatum. §. XXXVII. Causa mitigationis pene non est indistincte intercessio fæmina soluta condemnatum in matrimonium petentis. §. XXXVIII. Respondetur ad dubia contrarie sententie. §. XXXIX. Salvum tamen jus aggratiandi Principi manet. §. XL. Num intercessio personæ extraneæ in crimen adulterii facilius locum inveniat, quam in aliis. §. XLI. Negatur contra Carpzovium. §. XLII. Notabilis casus de fæmina defor-

DISPUTATIONIS.

deformi pro fure intercedente, cuius intercessionem fur repudiavit. §. XLIII. Quid si fur acceptet intercessionem. §. XLIV. Num meretricem ē lupanari ducenti plane ignoscendum. §. XLV. Ad legem obstantem respondetur. §. XLVI. Singularis intercessionis modus Romanis usitatus. §. XLVII. Speciale privilegium Cardinalium pro aliis intercedentium. Historia de Papa Johanne Neapolitan. §. XLVIII. Illud privilegium non extendendum ad Principis filium & Augustam. §. XLIX. De intercessione ad ipsum Principem directa. §. L. In gravioribus delictis non facile intercedant Ecclesiastici. §. LI. Casus de Leontio Episcopo pro Symmacho intercedente. §. LII. Caveat Princeps ne promiscue & sepius ad intercessionem aliorum ex jure aggratiandi succurrat delinquentibus. §. LIII. Conclusio Dissertationis. §. LIV.

§. I.



Ntercessione vocabulum in jure duplíciter capitur. Primò idem denotat, ac fidem suam interponere & in gratiam creditoris personam, vel bona sua pro debitore in eum casum obligare, ita, ut si ille ab hoc pecuniā mutuo suppeditatam iterum consequi nequeat, intercedentis vel fidejubentis persona & bona tunc obligata esse debeant. Atque hic significatus ad titulum de Fidejussoribus & Mandatoribus pertinet. In titulo de Scto Vellejanō autem adhuc latius patet intercessio, quoniam & illa mulier intercedere dicitur, quae per novationem, siue expromissionem, alienam in se recipit obligationem & sic principalis rea constituitur, l. 8. §. 8. ff. ad Sctum Vellejanum.

A 3

§. II.

## §. II.

Secundò autem intercedere idem est, ac per preces su-as alteri apud alterum peculiarem favorem conciliare. Ubi i-terum duo distincti causi separandi. Vel enim talis inter-cessio fit in causa civili, id est, ubi nullum alterius precessit delictum, ita enim hic capimus vocabulum causæ civilis: vel interponitur etiam ad mitigandam, vel plane remit-tendam poenam in eo casu, ubi alter per commissum deli-cium in reatu constitutus es. Prior significatus in §. I. ex-plicatus ad nos in praesenti plane non spectat. Posterioris significatus membrorum prius ad affinia nostræ disserta-tionis pertinet; de membro posteriori autem nobis prin-cipaliter agendum erit.

## §. III.

Adhuc porro autem notandum, quod utraque inter-cessio, nempe quæ in casu delicti ab altero commissi, & quæ extra eum casum interponitur, duplicis generis sit. Scilicet, interdum intercessio necessitatem aliquam involvit, id est, quod is, ad quem diriguntur preces, eas attende-re & propterea in favorem ejus, pro quo interceditur, di-sponere jure obstringatur. Interdum verò intercessio nul-lam necessitatem post se trahit, sed arbitrio alterius relin-quitur, an ex officio humanitatis precibus pro re nata de-ferre velit, annon. Utraque consideratio ad nos in præ-senti pertinet, quapropter etiam in casibus singularibus semper indicabimus, an & qualern effectum intercessio jux-ta Legum dispositionem involvere posfit.

## §. IV.

Primo quidem de intercessione, quæ extra casum commissi delicti obtinet, agemus, sed paucis tantum, cum hæc species principale caput thematis nostri non consti-tuat. Latet autem revera ejusmodi intercessio in *jure prima-*

DE INTERCESSIONE INNOCENTVM

primariarum precum, per quas indigitatur potestas personam idoneam in qualibet Ecclesia, vel Monasterio Imperii immediato una vice ad beneficium Ecclesiasticum primo vacaturum praesentandi. Diplomata, quibus ista preces continentur, communiter vocant *Panisbrieffe* / vid. Wehner. *Obs. voc. Panisbrieffe*; sed derivatio, quam addunt, quod nempe ita à *pane* dicantur, seu alimentis, quæ quis exinde consequitur, nimis remota nobis esse & non melius quadrare videtur, quam si quis cum Borcholto secundum à füden / aut cum aliis (de quibus Struv. *S. I. F. c. 12. apb. 12.*) vocem vasalli à Baselin deducere velit.

§. V.

Exercet hoc jus Imperator etiam post *Instrum. Pacis Osnabr. art. 5. §. 18.* in Episcopatibus, qui Augustanae Confessioni addicti sunt. Sed tamen duplex ibi limitatio subiungitur, (1) si *S. Cæs. Maj. jus primarium precum antea ibi exercuit*, & hinc locum non habet in Marchia, quia ibi Potentissimus Borussorum Rex, tanquam Elector Brandenburgicus, ejus exercitium habuit, Scheplitz *Convent. Brand. part. 1. tit. 1. §. 2. n. 4.* Illustr. Coccejus *Prud. juris publ. t. 22. §. 7.* (2) modo decadente Aug. Confess. addicte in ejus Religionis Episcopatibus *Confessioni Aug. addicte* ad normam statutorum & observantiae idoneus precibus fruatur. In mixtis verò ex utraque Religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis, precibus primariis presentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans Religionis consors possederit.

§. VI.

Imperatrici idem jus asserunt, Strauch. *Instit. jur. publici l. 1. tit. 33. S. 4.* Exemplum de Imperatrice Eleonora habet Fritschius *in tract. de jur. primar. prec. c. 5.* & ex hoc Pfessinger *in not. ad Vitriar. l. 3. tit. 2. §. 9. lit. a.* Verba nostra

DISPUTATIO JURIDICA

stro scopo inservientia præcipue hæc sunt: So begehrten  
Wir an Euer Andacht mit sondern Fleiß/ernstlich bit-  
tende/daz ihr umb dieser Unser ersten Bitte willen/und  
Unser Kayserl. Majestät zu ehren und gefallen/dein be-  
nahmten Meister Conradten eine Gottesgab Euer geist-  
lichen Lehnshafft/wann die Euch am ersten ledig/ und  
Er/oder sein Procurator von sein etwegen die an Euch be-  
gehren und erfordern würde/für männlich verleihet  
und in Unirung dazu kommen lasset.

§. VII.

Quemadmodum vero Imperator in Episcopatibus  
immediatis, ita etiam Principes Protestantes in illis, qui  
in eorum territoriis reprehenduntur, jus primariarum  
precum exercent, quod ipsum ex summa jurisdictione  
summaque potestate Ecclesiastica, quam quilibet in suo  
territorio habet Princeps, optime deditur Illustr. Strykius  
*de jure Papal. Princip. Evang. cap. 4. §. 4.* Imò & Principisis  
Evangelicis §. 5. d. l. in capitulis sceminiinis ad exemplum  
Imperatricis idem jus adscribit, illudque Serenissimam E-  
lectricem Brandenburgicam libere semper exercuisse testa-  
tur. Quamvis hoc libenter fateamur, quod nec Impera-  
trix, nec Principissæ talem potestatem jure proprio, sed  
solum ex concesione Imperatoris & Principum, Conju-  
gum suorum, exerceant, vid. loc. cit. §. 5.

§. IIX.

Hæ intercessiones, de quibus haec tenus diximus, ad  
earum classem pertinent, que necessitatem aliquam invol-  
vunt, vid. §. III. unde bene Schweder. *Introd. in jus public.*  
*Part. spec. Sect. 1. cap. 5. §. 14.* dicuntur, inquit, intercessio-  
nes civiliter, cum sint iussa potius, vel mandata, notum  
quippe illud: cogit rogando, qui rogat potentior, quo  
pertinent verba in formula §. VI. adducta: ernstlich bit-  
tende.

tende. Scilicet notum uest, quod precista sine distinctione mensium ab Episcopo, vel Capitulo recipi debeat, licet alius expectativam præbenda habens concurrat, Fritschius d. tr. c. s. n. 4. seqq. Schweder l. c. §. 19.

## §. IX.

Aliarum intercessionum, quæ necessitatem præcise non involvunt, infinitæ sunt species. Diriguntur autem vel à Principibus ad Principes, vel à Principibus ad privatos, vel a privatis ad Principes, vel a privatis ad privatos, & vocantur *intercessionales*, *Vorchriften* / *Vorbitten* / *Recommendationes*, &c. quæ de variis negotiis occurrentibus concipiuntur. Pertinet huc etiam casus ex *instrumento Pac. Osnabrug. Art. V. §. 41.* in quo Regia Majestas Sveciæ & Augustanæ Confessionis Ordines facultatem sibi reservarunt, in proximis Comitiis aut alias apud Cæsaream Majestatem ulterius respective amice interveniendi & demisse intercedendi, ut subditis in Cæsarea Majestatis & Domus Austriacæ regnis degentibus major Religionis libertas & exercitium concederetur. Quæ clausula sine dubio ex hac causa Instrumento Pacis inserta fuit, ne scilicet subditi in Regnis & provinciis Austriacis intercessionem Regis Sveciæ & Statuum Evangelicorum implorantes, aliquid contra vinculum subjectionis & reverentiam S. C. M. debitam moliri viderentur, unde quoque additum: *Pace tamen semper permanente & exclusa omni violentia & hostilitate.* Tales intercesiones quamplurimas à Rege Sveciæ & Statibus Evangelicis profectas exhibet Godoff. Ferdin. de Buckisch in *observ. ad d. §. 41. & in manissa Art. V. sub juncta.*

## §. X.

Progedimus nunc ad id, quod principale thema nostra

B

stræ

stræ disputationis est, sive ad intercessiones eo casu interpositas, quando alter, pro quo interceditur, per commissum delictum in reatu constitutus est, vid. §. II. Eminet vero inter reliqua delicta *crimes lese Majestatis*, quod omnium publicorum criminum maxime enorme est & atrocissimum, quia ad lœsionem & turbationem statûs publici maxime omnium spectat, Arnold. Vinnius ad §. 1. 3. de publ. judic. Ziegler. *de jure Majestatis*. l. 1. c. 2. §. 2. & in quo propterea quamplurima singularia recepta, quæ integro illo capite recenset & examinat idem Zieglerus, JCtus celeberrimus. Ad nos in præsenti saltem spectat questio: *ullum in crimine lese Majestatis pro Reo intercedere licet?* Loquimur autem de ea specie lœse Majestatis, quæ perduellio vocari solet.

## §. XI.

Communiter verò afferunt DD., non permisum esse, ut quis pro reo criminis lœse Majestatis intercedat. Apud Zieglerum loc. cit. §. 6: sequentia de hac te habentur. Abstinere, inquit, oportebat non amicos tantum, sed propinquos etiam & sanguine junctos, quos ipsa natura coagmentavit quasi & in confortium vitæ copulavit, ita, ut eorum, qui majestatis postulati fuerunt, misereri nullo modo, & nec conversari amplius cum eis, nec intercedere pro eis licuerit. Notabilis est locus, quem ex Ciceronis *Orat. pro Sulla* subjungit. *Quis nostrum*, inquit Tullius, *adfuist Varguntejo?* *nemo, ne hic quidem Q. Hortensius*, præsertim qui illum solus antea de ambitu defendisset, non enim jam se ullo officio cum illo conjunctum arbitrabatur, cum ille tanto scelere commissi omnium officiorum societatem diremisset. *Quis nostrum Ser. Syllam?* *quis P. Lentulum?* *quis M. Leccam?* *quis Cornelium defendantum putavit?* *quis his horum adfuit?*

## DE INTERCESSIONE INNOCENTUM.

II

adfuīt? nemo. Quid ita? quia ceteris in causis etiam nocentes, viri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse non putant. In hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam quedam contagio sceleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patria suspicere. Quid Autronio? nonne sodales, non Collega sui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non bi omnes, qui sunt in Republica Principes, defuerunt? imo etiam testimonio plerigō laeserunt? Statuerant tantum illud esse maleficium, quod non modo non occulteri per se, sed etiam aperiri illustrari debet.

## §. XII.

Clara hac de re in l.s. §. 2. C. ad L. Jul. Majest. extat Imp. Arcadii & Honorii constitutio. Denigō, inquiunt, jubemus etiam eos notabiles esse sine venia, qui protalibus unquam apud nos intervenire tentaverint. Per vocem: notabiles esse, intelligitur, quod infamia juris notentur intercedentes, & ita juxta B. Brunnem, in Comm. Cod. ad d. L. non tantum punitur culpa levitatis, sed & contagium sceleris metuitur. Adlata dispositio l.s. §. 2. repetita deprehenditur in Aur. Bull. Caroli IV. tit. 24. verbis: Darnach sellen diejenige ebenfalls in unsere Ungnade fallen/die vor sie zu bitten sich unterstehen würden.

## §. XIII.

Quemadmodum vero hanc intercessionis prohibitiōnem triste quid, valde miserum & miserandum vocat Zieglerus d. §. 61. ita Scipio Gentilis de conjur. l. 1. c. 4. eam legis particulam terroris tantum incutiendi gratia, non vero, quod ita rigide servari Imp. voluerint, scriptam esse afferit. Sed vero, quamvis diffidendum non sit, omnes Leges terroris incutiendi gratia promulgari solere; nihilominus tamen, quod verba citatae legis non aliter, quam

B 2

nudus

nudus sine effectu sonus considerari debeant, nobis persuadere non possumus. Quilibet Legislator probe novit, Leges nullam post se trahere utilitatem, nisi in renitentes graviter & prout tenor Legis hoc indicat, animadveratur. Unde in dubio semper presumendum, quod Legislator legem promulgataam omnino rigide servari voluerit.

## §. XIV.

Interim deprehendimus, quod DD. dispositionem *cit. l. s. §. 2.* duplice modo potissimum limitare consueverint. Petrus Theodosius in *Colleg. Crimin. disp. s. th. 6. lit. g.* distinguit inter eos, qui in criminis lese Majestatis pro confessis & convictis jamdum habentur, & inter illos, qui hujus criminis tantum insimulati sunt. Ad hosce prohibitionem legis non esse applicandam dicit, quamvis in subiecta ratione, *quod bis patrocinium & defensionem denegari inhumatum & crudele*, intercedentes cum Advocatis confundere videatur. In illis, qui vel confessi, vel convicti, rigori legis locum relinquunt. Et haec distinctio etiam fundamento suo destituta non esse videtur. Altera limitatio, quod scilicet prohibitio intercessionis ad eum casum solummodo pertineat, si quis pro ipso criminoso intercedat, non autem, si pro filiis ejusdem, levioris momenti esse videtur. Verba enim Legis de ipso delinquente loquuntur, filii autem ipsi non deliquerunt, & sic lex hac parte ad eos extendi nequit, vid. interim Ant. Matthæi *de Crimin. tit. 2. c. 3. n. 19.* Brunnen. *ad l. s. §. 2. C. ad L. Jul. Majest.*

## §. XV.

Illud vero contra regulas interpretandi manifesto impingit, quando nonnulli ex verbis *cit. l. s. §. 2.* inferre volue-

voluerunt, quod in crimine læsa Majestatis nullus Advocatus accusato concedendus sit, v. Bartol. *in extr. ad reprimendum Henrici VII. quom. in læsa Majest. crim. proced. in gl. sine strepitu. Gigas tit. qualiter in crim. læsa majest. proced. qu. 4.* Gvazzinus de defens. reor. defens. 24. c. 10. num 1. unde miramur, ipsum etiam Lauterbachium *in Compend. jur. tit. ad L. Jul. Majest.* hoc inter singularia hujus criminis retulisse. Aliud enim est, intercedere, id est, gratiam & favorem alicui conciliare velle nudis precibus, de quo loquitur adducta lex; aliud verò merita causæ & momenta pro Reo facientia modo permisso Judici exponere, quod ad officium Advocati pertinet. Evidenter Bartolus adducit, Advocatos ideo non admitti, quia strepitum in judiciis excitant, (unde eos cum ranis comparat,) hic vero res sine strepitu judiciali peragenda est; sed hac ridicula & absurdâ ratione admissa vereor, ne à multis aliis, & præcipue summarii causis removendi essent Advocati. Rectè itaque hanc opinionem rejicit B. Brunnem. *ad l. f. ff. ad L. Jul. Majest. n. 8. add. Ant. Matthæi d. c. 3. n. 19.* Nam & heredes accusati vocandos esse dicunt, ut ipsius innocentiam defendant, Gometz *var. resol. L. 3. c. 1. n. 81.* Brunn. *d. l. n. 1.* Ceterum facile largimur, præsertim *quoad regulas prudentie*, quod Advocatus caute agat, si speciale prius indulsum Principis expectet, antequam patrocinium causæ admodum exosæ, in se fuscipiat, Illustr. Stryk. *in not. ad Lauterb. d. l. verb. nullus admittitur.* quamvis enim officium Advocatorum munus publicum sit, & ad hoc subeundum inviti cogi possint; hoc tamen simul perpendendum est, Advocatum non minus Principi, quam privatis obstrictum esse, neque eum cogi posse, ut officium ipsi dannosum evadat.

Sufficient hæc de prohibitione intercessionis in criminis læse majestatis. Simile quid reprehenditur in Edicto Potentissimi Regis nostri contra Duella promulgato art. xvi. ubi ita dispositum: So geloben und versprechen Wir hiemit bey Unserm Königlichen wahren Wort/ daß Wir hierunter mit niemanden / wer der auch seyn möchte/umb einigerley Ursach willen/wie dieselbe erfinnet/oder erdacht werden könnte/conniviren oder nachsehen/weniger die gesetzte Straffen erlassen/ noch einigen Pardon oder Gnade desfalls ertheilen wollen. Wir verbiehen auch allen und jeden / wes Standes oder Würden die auch seyn möchten/ daß sich niemand unterstehen soll/in dergleichen Fällen einige intercession oder Vorbitte bey uns einzulegen/was auch für eine Sache Gelegenheit oder Anlaß dazu geben könnte/ als z. E. die glückliche Entbindung Unserer Gemahlinnen/die Geburth oder Heyrath eines Unserer Prinzen oder Prinzessinnen/oder anders dergleichen/alies bey Vermeidung Unserer indignation und Ungnade.

## §. XVII.

In aliis tamen delictis pro Reis intercedere non prohibetur. Intercedunt verò vel illæ personæ, que a delinquente lœse sunt, vel etiam aliæ, quas delictum non tangit. Priori casu communiter intercessio effectum aliquem post se trahit, juxta ea, quæ §. III. diximus, posteriori non item. Loquimur autem, ut & hoc tandem addamus, non de intercessione, quæ apud ipsum Principem jure aggravandi gaudentem fit, sed de ea, quæ apud Judicem inferiorum, Legum Ministrum, interponitur.

## §. XXIX.

## §. XIX.

Initium de intercesione partis innocentis in casu commissi adulterii faciemus. Deprehendimus verò in eo, si non omnes, plerosque tamen consentire, quod in simplici adulterio intercessio innocentis conjugis adultero ad mitigationem & remissionem poenae ordinariae proficiat, vid. Carpzov. *Prax. Crim. qu. ss. n. 6. seqq.* ubi in specie ex Nov. 134. c. 10. argumentum adducit, add. Brunnem. *Proc. Inquis. c. 9. n. 32.* quamvis enim hic num. 33. mores receptos à superiore corrigendos esse existimet, interim tamen d. n. 32. mores istos hactenus receptos esse testatur.

## §. XIX.

Et cum haec innocentis intercessio merito ad species defensionis referri mereatur, quæ ita favorabilis est, ut Judex etiam ex officio pro eo laborare debeat; hinc licet innocens sponte non intercedat, reus tamen existimet fore, ut forsitan delictum commissum ipsi remittat, si defunderetur interrogaretur, hinc, inquam, fieri assulet, ut ad instantiam inquisiti Judex partem innocentem ad judicium vocet, & quæ hac parte ejus sit intentio, eum interroget, immo etiam ad intercedendum ipsum adhortetur. Sic apud Keysern in *Prax. crim. in Append. Part. I.* deprehenditur *Rescriptum Regiminis Altenburgensis ad Praefectum ejus loci ad preces eiusdam inquisiti emanatum hujus tenoris:* Auf das von dem in hafft sitzenden A. S. abgeiaßene hiebey wieder zurückkommende Schreiben begehren Wir hiemit/ihr wollet mit der ihm zuerkannten fustigation, bis von Unserm Consistorio dessen Eheweib/ob sie ihrem Ehemann condoniren wolle/vernommen/in Ruhē stehen lassen. Item Registratura ibidem adducta testatur, daß als des verhafteten A. S. Weib neben ihrem Vater

Vater erschienen/ihre Erklärung begehrret/ihr auch beweglich zugeredet (dass sie nemlich ihrem Manne vergeben und vor ihn bitten möchte) und die Nothdurft umständlich vorgestellet worden/quamvis hæ adhortationes tunc quidem sine effectu fuerint.

## §. XX.

Illud non prætermittendum, quod quemadmodum in Saxonia mulieres personam standi in judicio sine Curatore non habent: ita quoque intercesio in causa adulterii communiter nonnisi accidente Curatore fieri soleat. Unde si per oblatum libellum supplicem intercedit uxor, subscriptio Curatoris communiter adjungitur. Quod si hoc neglectum, uxor intercedens sæpiuscule una cum Curatore ad judicium vocatur, ut ibi præsente illo intercessionem reperat. Extra Saxoniam verò Curatoris præsentia & consensus, uti nec in aliis negotiis, ita neque hic adhibetur. Imo etiam, quod Saxoniam attinet, licet plerumque ibi ita fieri soleat, prout diximus; interim tamen præsentia & consensus Curatoris propterea non est inevitabilis *necessarius*, sed quamvis ille deficiat, *de intercessione uxorius autem certo constet*. Judex nihilominus propterea mitiorem pœnam decernere valet, Carpzov. qu. 55. n. 88. 89. Ergo præsentia, aut subscriptio Curatoris in eum finem communiter exigitur, ut de voluntate uxorius intercedentis eo melius & certius constare queat, & ne uxor deinde forsitan conqueratur, se non rite informatam fuisse de effetu intercessionis, vel etiam, alium ea inscia nomen subscriptissime, cum tamen ipsa animum intercedendi non haberit.

## §. XXI.

Occasione Rescripti in §. XIX. adducti, ibi: bis von Unserm

Unserim Consistorio dessen Cheweib &c. quæri etiam posset: *in quo foro intercessio fieri debeat, in ecclesiastico scilicet, an in illo, ubi inquisitio peragitur?* Respondemus, experientiam docere, quod communiter in illo judicio, coram quo Processus inquisitorius pendet, fieri soleat, quia scilicet intercessio maximum momentum in concipienda sententia quoad mitigationem poenæ adsert, unde tanquam connexum ipsius inquisitionis consideranda. In casu autem in §. XIX. adducto speciales circumstantiae occurrerant. Nam uxor inquisiti intercessionem constanter denegabat & e contrario, quamvis Princeps inquisito poenam remittere vellet, divortium urgebat. Unde hac occasione Consistorio injungebatur, ut tentaret, annon intercessiō nem uxori persuadere posit. Et ergo positis hisce circumstantiis, intercessio res mixti fori evadebat.

### §. XXII.

Intercessio innocentis non præcise ante primam sententiam fieri debet, sed etiam post eandem, imo tamdiu adhuc locum habet, quamdiu sententia nondum executioni data & sic delinquens poenæ subjectus non est. Nova enim defensio, ut mos Saxonum fert, toties admittitur, quoties nova & relevantia defensionis media adsunt, tale autem sine omni dubio est intercessio Conjugis innocentis. Imo etiam extra Saxoniam idem est favor defensionis, unde sententia in rem judicatam non transit, Carpzov. *Pr. crim. qu. 139. in f. Lauterbach. ad tit. ff. de appellat.* Imò licet transiret, facile tamen ex urgenti causa restitutio in integrum contra lapsum fatalium concedi solet.

### §. XXIII.

Id vero ex intercessione consequitur uxor intercedens, quod maritum, si forsan deinde relegetur, (quod com-

C

communiter fieri solet) sequi obstricta sit, Brunnenmania. Proc. Inquis. c. 9. n. 32. unde haec pronunciandi formula usitata: *Dass Inquisie in Anschein seines Eheweibes gethanen Vorbitte und Erklärung mit der ordentlichen Todesstrafe zwar zu verschonen/er wird aber dennoch des, begangenen Ehebruchs halben des Landes ewig verwiesen/ daraus ihm gedachte sein Eheweib mit wesentlicher Wohnung zu folgen schuldig.* Non tamen hoc intuitu uxoris tanquam poena considerari potest, quia illa nullum delictum commisit, sed est hoc consecutivum promissionis ab initio factae, quod cum marito, quamdiu matrimonium durat, (durat autem post intercessionem) quaecunque fata perpeti velit, Sie wolle Glück und Unglück mit ihm ausstehen. Interim puto, judicem obligatum esse, ut quando uxorem ad intercedendum adhortatur, (v. §. XIX.) ei simul sincere indicet, qualem sortem post intercessionem sit expertura, ne deinde, se deceptam esse, conqueri posit.

## §. XXIV.

Diximus in §. XIX. ratione intercessionis ejusque effectus in *simplici* adulterio unanimem fere esse DD. sententiam. In adulterio *duplicato* autem contrariam sententiam complectitur Carpzov. qu. 55. n. 109. seqq. quod scilicet intercessio innocentis ad mitigationem nocenti non proficiat, idq; quoad Electorat. Saxonie expeditum est per Const. 19. P. 4. §. Es soll aber / vers. Wann aber ein Ehemann mit eines andern Eheweib die Ehe gebrochen / &c. In illis autem locis, ubi jus Saxonum commune viget, ut & in aliis locis extra Saxoniam intercessioni adhuc locum relinquit Idem d. l. n. 113. seqq. ob textum jam supra §. XIX. ex Nov. 134. c. 10. adlatum, aut, si mavis, ob argumentum-

mentum ex illo textu desumptum. Res ex moribus cuiusvis loci est dijudicanda. Cum enim poenae genus in adulterio jure divino universali determinatum non sit, hinc irrationabile non est, si intercessio permittatur, nec e contrario injustum, si ea prohibetur.

## §. XXV.

Sed queritur, an intercessio ad effectum mitigationis poenae locum habeat, si ut ergo conjugum adulterium commiserit & tunc alter pro altero intercedere velit? Affirmat Carpzov. d. qu. ss. n. 70. seqq. Negat Moller. ad Constat. Elect. 19. P. 4. n. 11. & Brunnem. Proc. Inquis. c. 9. n. 34. Nos negantibus accedimus. Omnidem enim, ut inquit Brunnemannus, inconveniens est, beneficium innocentii datum adultero tribuere. Nam quod innocentie intercedente adultero remittatur supplicium, id innocentis favore placuit, non nocentis.

## §. XXVI.

Sed tamen tribus rationibus instrutus est Carpzovius. Age, videamus, quid illae in recessu habeant. Dicit (1) Constitutionem Electoralem non distingvere, E. nec interpretes distinguere debere. Forte, sane, argumentum. In quem ergo finem opus est, ut JCTi artem interpretandi adiscant? Ego semper didici, rationem esse animam legis, & ergo ubi ea deficit, interpretarem verba legis restringere debere, licet generalia sint. Quod vero ratio legis hic deficiat, in §. prec. ostensum est. Pergit (2) eo facilius remissionem locum habere, quo minor est injuria per adulterium, conjugi illata, quia ergo mutua delicta compensatione tolluntur, E. & mutua adulteria. Respondemus, adlatam regulam procedere quidem intuitu conjugis innocentis, sed non intuitu nocentis. Quis enim unquam audivit, quod

DISPUTATIO JURIDICA

20 Leges delinquenti facultatem agendi, aut intercedendi concesserint? Mutua compensatio, quæ sit intuitu actionis *private*, huc plane non quadrat, exinde enim negativum, quid solum sequitur, scilicet, *quod neuter agere valeat*, non vero, *quod uni, vel etiam utrique aliquid indulgeatur*. Quis enim ita inferret: si in duplicato adulterio conjux alterum *convenire nequit*, sed adulteria mutua compensantur, E. sequitur, *quod alter pro altero etiam intercedere queat*. Ita autem insert Carpzovius: sed negamus consequentiam.

§. XXVII.

Addit (3) hanc sententiam esse mitiorem, E. eandem esse amplectendam, in quem finem l. 4. S. 1. ff. de susp. tut. l. 32. in f. l. 42. ff. de pœn. l. 155. §. f. ff. de R. J. & c. 49. cod. tit. in b. adducit. Sed si hoc principium ita crude capiatur, sustineri etiam posset, nullum delinquentem esse puniendum, quia hæc sententia omnium mitiissima foret. Advertere debuisset Carpzovius, mitiorem viam esse eligendam *in dubio*, id est, ubi de delicto certo non constat, hic vero utriusque delictum in confessu esse supponitur. Deinde etiam citatae leges hoc saltem volunt, quod in dubio mitior pœnæ gradus eligi, non vero, quod delinquenti facultas agendi concedi debeat, de quo tamen hic sermo est. Hæc duo confundere non decebat tam celebrem JCrum.

§. XXIX.

Prout verò in hac quæstione à Carpzovio recessimus, ita etiam in sequenti: *an intercessio conjugis innocentis in gratiam nocentis facta alteri quoque, qui cum conjugé nocente concubuit, proficiat?* veritate convicti idem facere cogimur. Adducit Carpz. d. qu. 55. num. 120. seq. Constitutionem Elect. 19. P. 4. negativam expresse stabilire; sed tamen extra Electoratum Saxoniæ rem longe aliter sese habere afferit. Rationes

nes, quas adducit, levissimi ponderis sunt. Res inter alios acta, inquit, facilius aliis prodest, quam nocet. Esto. Queritur, an hic prodit? hoc non est probatum. Imo probat. Dicit: facilius sustineri actum, quando tractatur de commodo, quam ubi versatur incommodum. Concedimus hoc in negotiis civilibus, nam tunc facilius sustinetur, si v. g. commodum alterius procurare intendo, quam si injuriam & damnum ipsi infero. Sed hoc ad nostrum casum, non quadrat, quia remissiones delictorum ex privato arbitrio non dependent. Hinc sponte corruunt, quæ addit. n. 124. licet favor matrimonii in personis solutis cesseret, intercessio tamen conjugi facta per consequentiam quandam favorablem solutis quoque personis prodest. Haec verba enim petunt id, quod in principio est, & falsum est, de linquentium causam esse favorabilem.

## §. XXIX.

Non timemus Virgilium Pingitzerum, Matthæum Wesenbecium, Prosperum Farinacium, Angelum Aretinum, Colerum, Hostiensem, Berlichium, Azoneni, aliosque, quorum autoritatem objicit n. 122. Hi siquidem omnes ad l. 17. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult. ibi: *Si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest. Si condemnatus fuerit, mulier non est condemnata*, provocant. Sed elumbe hoc esse argumentum ipse Carpzovius n. 124. agnoscit. Nos E. omnibus illis opponimus principia sanæ rationis. Patet enim, intercessionem unice in favorem conjugis innocentis indulgeri, unde communiter inferunt sententiis: *Zu Ehren des heiligen Chestandes / ne scilicet, si antea fuit bene concordans matrimonium inter conjuges, nocentem & innocentem, hoc per impositiō nem pœna ordinaria rumpatur, cum spes sit, fore, ut no-*

## DISPUTATIO JVRIDICA

22  
cens eo citius & melius ad pœnitentiam & detestationem  
commissi delicti perducatur. Si autoritatem pro nostra  
sententia desideras, provocamus ad unum, qui instar o-  
mnium nobis est, Brunnemannum Proc. inquis. c. 9. num. 36.  
qui iniquitatem sententia adverse eleganter ostendit.

## §. XXX.

Interim quod ipsam intercessionem attinet, non so-  
lum requiritur, ut innocens injuriam atque delictum con-  
donet nocenti, sed etiam, & quidem præcipue, ut ad ulterio-  
rem cobabitationem sese offerat, unde formula pronunciandi  
consueta: Es wollte ihm dann sein Ehegatte verzeihen/  
und ungeachtet gebrochener Treu und Glaubens/ ihm  
ferner ehelich beynwohnhen/ quod posterius si facere de-  
trectet, intercessio nullum effectum post se trahit, Carpz.  
d. qv. ss. n. 116. seqq. Postquam vero semel intercessit con-  
jux innocens, banc suam intercessionem deinde revocare ite-  
rum nequit, quia alteri ius quæstum est, Id. d. l. n. 79. seqq.

## §. XXXI.

Sed quid si nocens intercessionem acceptare nolit? Ad-  
huc eidem locum relinquit Id. d. l. n. 127. ex ratione, quod  
remissio & intercessio nullatenus in favorem adulteri intro-  
ducta sit, sed in honorem matrimonii & favorem conjugis  
innocentis, ne scilicet dupli afflicatione gravaretur. Ergo  
hoc ius innocentis conjugis nocentem intervertere non  
posse dicit. Ad dubium: nemini tamen obtrudi benefi-  
cum; responderi posset, hoc procedere, si aliquis in colla-  
tione beneficii principaliter consideretur, (quod non sit  
intuitu innocentis) & nisi alterius (innocentis scilicet) præ-  
udicium concurrat.

## §. XXXII.

Si conjux innocens sub expressa hac conditione in-  
terce-

tercedit, si nocenti gratia & potestas fiat in loco ac domo sua remanendi, atque relegatio in paenam pecuniariam commutetur, intercessionem pro pura habendam esse dicit, id. d. l. n. 76. Nobis non videtur. Quia enim Carpzovius, ut modo adduximus, fatetur, intercessioni locum relinquere in favorem innocentis; hinc putamus, illud, quod in favorem alicujus receptum est, in ejus odium detorqueri non posse, *l. 6. C. de LL.* Rationes, quibus adversa sententia superstruitur, iterum pondus non habent. Provocatur ad generalitatem Constitutionis Electoralis; sed ad hoc modo respondimus §. XXVI. Adfertur: falsam causam adjectam actum ipsum non vitiare, per *l. 17. & 33. ff. de Cond. & dem. l. 2. C. de fals. Caus. adject.* Sed hic primo non adjicitur causa, & demonstratio, sed *conditio*, quae actum semper suspendit, & quae propterea cum prioribus, causa scilicet & demonstratione, non ita confundi debebat. Deinde falsa causa non nocet, si emolumenntum aliquod, v. g. legatum, in alterum confertur; ast, quod uxor conditionate intercedens cum adultero invita emigrare debeat, hoc sane deplorandum est emolumenntum. Illud vero plane non intelligimus, quando dicitur: *Solan intercessionem, non etiam emigrationem e ditione causam esse mitigationis paene.* Quid enim hoc ad rem? Intercessio siquidem sub conditione facta, conditione deficiente non est intercessio. Conf. Excell. Thomasus in *not. ad D. Myllii Disp. de jure vagabund.* C. 2. n. 14. in *Dissert. Lipsiens.* p. 153. verb. admittit tamen.

## §. XXXIII.

Reliqua ad hanc materiam pertinencia per modum indicis solum recensebimus. Intercessioni locum relinquit Carpz. d. l. n. 57. seqq. licet Reus adulterii, cui jam antea semel pena ordinaria fuit condonata, denuo in idem crimen residat.

24 DISPUTATIO IURIDICA

edat. Licet enim Moller, Pingitzerus & alii à Carpzovio adducti dissentiant, quorum loca vide apud ipsum loc. cit. idem tamen favor conjugis innocentis hic adesse videtur. Idem sentiendum de adulterio ante matrimonium initum & perpetrato, Id. n. 92. seqq. n. 100. seqq. Item de adulterio à sponsō commisso, vel à sponsa: item, si conjux nocens cum uxore alterius meretricio more vivente, vel cum uxore a marito suo deferta, & vice versa, concubuerit, Id. d. l. n. 105. seqq. Et qu. 56. 57. 58. E contrario autem intercessio nihil operatur, quando cum adulterio aliud crimen, v. g. incestus, stuprum violentum, aliudve, quod per se capitale est, concurrit, Id. d. qu. 55. n. 115. quia Leges de his casibus nihil disponunt. Quamvis E. quis objiceret, quod tamen & hic favor Conjugis innocentis subsit, respondemus tamen, favorem conjugis non aliter considerari, nisi in casibus a Lege expressis, hic vero dispositio Legum non adest. Favor itaque innocentis & Legis dispositio conjunctum sumi, nec alterum ab altero separari debet.

§. XXXIV.

Satis de crimine adulterii. Quoad crimen *raptus in t. un. C. de rapt. virg.* expressè dispositum est, quod non esse debeat facultas raptæ virginis, vel viduae, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere, quo etiam pertinet can. 4. caus. 36. qu. 2. can. 11. d. caus. 36. qu. 2. Postea vero in t. 7. X. de raptor. dispositum est, quod rapta puella legitime contrahere possit cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante dispergit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ. Unde propter hanc recentiorem canonum dispositionem in criminе raptus intercessioni puellæ raptæ cum effectum tribuunt DD. quod pœna

pœna capitalis cœflet, v. Decianus tract. crim. l. 8. c. 6. n. 9.  
Finckelth. Obs. 114. n. 8. & 11. ibiq; plures citati.

## §. XXXV.

Argumento hujus dispositionis inferunt porrò DD. quod etiam in *stupro violento* pœna mortis stupratori remittatur, si virgo stuprata à viro soluto, (in marito enim fecus, v. §. XXXIII.) pro ipso intercedat eique nubere velit, Carpzov. qu. 75. n. 65. quam materiam fuisse per rationes dubitandi & decidendi more suo exponit Finckelth. Observ. 114. per tot. subiunctis præjudiciis Facultatis Juridicae Lipsiensis n. 20. & 21. Præjudicia Scabinatus Lipsiensis habet Carpzov. l. c. n. 69.

## §. XXXVI.

Hi sunt illi casus, quantum nobis constat, ubi intercessio personæ innocentis, *qua à delinquente lesa est*, mitigationem pœnæ operatur. Videamus nunc de iis personis, *quas delictum directò non tangit*, vid. §. XVII. ubi deprehendemus, intercessionem innocentum eodem effetu non gaudere. Evidem Petrus Theodosius in Colleg. crim. disp. 10. tb. 4. lit. F. existimat, quod ob intercessionem amicorum aliorumq; conspicuorum virorum pœna temperari possit, & eum in finem ad c. 5. caus. 35. qu. 9. provocat, in quo Innocentius Papa ita: *Verum, quoniam id per rumorem falsum, ut afferitis, subreptum huic sedi & elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem redit, veniam nos hanc instantum vobis admittentibus post condemnationem more apostolico subrogamus; tantisq; vestris affectionibus, vobisq; tam bonis, tam charis, non dare consensum omnibus rebus duris durius arbitramur.* Verum enim vero quilibet videt, quod (1) Papa hic veniam dederit, non ob nudam intercessionem, sed potius ob innocentia condamnati demonstrationem,

D

quæ

quæ duo longe à se invicem differunt. (2) In d. can. non est sermo de Judice inferiore, de quo tamen nos loquimur, v. d. §. XVII. sed de ipso Papa veniam concedente. Ille ergo casus ad præsens thema plane non quadrat.

## § XXXVII.

Simile iudicium esto de casu', quem habet Keyser in Prax. crim. P. 1. cap. 10. §. 10. Ia/ inquit, da Anno 1640. unter andern M. H. wegen unterschiedenen Deuben und verübten Strazenraubs die Straffe des Schweds/und daß so dann der Körper auf das Rad geflochten werden solle/zuerkand/ auch dieser arme Sünder mit dem andern Gesellen vorm hochnotheinlichen Haß-Gerichte verurtheilet/in den Creyß und auf den Richtplatz geführet/ entblößet und zur execution dargestellet worden / hat dennoch Fürstl. gnädigste Landes-Herrschafft/auf seines Weibes und Kindes demuthiges bitten/ diesem Gnade erwiesen/und der darnahlige Land-Richter/indem die execution geschehen sollen/ solche Fürstliche Gnade ankündige müssen/daz er bey Leben bleiben/und nur des Landes ewig verwiesen werden. Hic enim iterum ipse Princeps dispensavit, Judici vero inferiori propter illam intercessionem poenam mitigare non licisset.

## §. XXXIX.

Quamvis ergo Nicol. Boer. decis. 18. n. 20. Jul. Clar. I. s. sent. §. ult. qu. 98. n. 6. aliisque apud Carpz. 9. 149. n. 49. existiment, causam mitigationis indistinctè esse intercessionem fœminæ solute, condemnatū in matrimonium petentis, quod apud nos fieri solet, wenn die Weibsperson entweder unterweges / oder noch im Richtplatz ein weiß Schauptuch auf den armen Sünder wirffet / oder nur bloß um Gnade bittet / (vid. Keyser a. §. 10.) Imò licet Chassan. in Confuet.

*Confvet. Burgund.* de generali confvetudine Franciae testetur; Rectius tamen Anton. Gometz tom. 3. var. resol. c. 13. n. 37. aliique ab hac opinione recedere nobis videntur.

## §. XXXIX.

Rationem illi hanc reddunt, quod eo casu, si meretrix pro condemnato intercedat, maius sit supplicium condemnato, uxorem dicere meretricem, quam feriri gladio, item: quod hac ratione anima meretricis salvari queat, si a meretricia vita reducitur in viam honesti matrimonii. Sed regerit Gometz, quod hac mitigationis causa admissa, quivis condemnati non habentes uxores poenæ promeritæ sese eximere possent. Addit Carpzovius, se nescire, an quisquam inveniendus esset, qui non meretricem, nedum puellam honestam in matrimonium ducere, quam vitam perdere mallet, quo ipso commodo publico, quod delicta punire jubet, haud parum contraveniretur. Matrimonia etiam tali occasione contracta haud raro concordantia esse, sed infelicissimi eventus & nova delicta exinde oriri solent.

## §. XL.

Evidem Virgil. Pingitzerus *quest. Sax. 8. n. 4.* & post hunc Carpzov. *d. qu. 119. n. 59.* arbitrio Judicis superioris, sive melius ipsius Principis relinquunt, quando ad intercessionem pueræ venia condemnato sit tribuenda, quo pertinet prejudicium *n. 50.* adlatum, ibi: *(Es ist euch aber / außn Fälle eine ledige Dorn / so für ihn zu bitten/ und ihn zu ehelichen erböthig/ verhanden/ solches dem Chur-Fürsten zu S. unterthänigst zu erkennen zu geben/ und um Erlässung der zuerkannten Todes-Straff anzusuchen/ unbenommen/ und wird unterdessen mit der angeordneten Execution auf ein Egg oder zehn bis*

D 2

auff

auff eure unterthanigste Supplication gnädigste Resolution erfolget / billich in Ruhe gestanden; Sed hoc iterum ad præsentem quæstionem non pertinet, v. §. XXXVI. seq.

## §. XLI.

Hoc interim certum esse dicit Carpz. d. qv. 149. n. 57. quod adulterii Reo, ad intercessionem puellæ ipsi nubere volentis, facilius poena ordinaria remittenda sit, quam reis alterius cuiusdam criminis, ob honorem & favorem matrimonii, quia matrimonium res favorabilis habetur, neque illud facile dirimendum, nec impediendum est. Adeoque licet Cons. Elec. 19. P. 4. de conjugum intercessione & remissione adulterii, durante conjugio perpetrati, loquatur, nihilominus tamen eandem ad hunc quoque casum haud inepite extendi posse putat. Idque non solum in viris obtinere, addit, sed & in fœminis, quas adulterii reas viros quoque in matrimonium eas petentes a poena ordinaria liberare posse, nullus dubitat, maxime si non ultimum supplicium, sed poena solummodo fustigationis ipsis sit infligenda.

## §. XLII.

Non videmus autem, quomodo hæc assertio cum ipsis Carpzovii principiis conveniat. Dixerat alias, literæ constitutionis Electoralis unice inherendum esse, v. suprà §. XXVI. & XXXII. nunc autem extensionem ejus contra evidentiam verborum urget. Dixerat: commodo publico, quod delicta punire jubet, haud parum contraveniri, si quis per intercessionem meretricis, aut honestæ puellæ à poena promerita liberari posset, v. §. 39. nunc vero liberationem admittit. Instat forte: se in illis, quæ d. §. 39. adduximus, de aliis delictis locutum, nunc autem de adul-

adulteri liberatione sermonem esse; quasi vero commodum publicum adulteros non minus, quam alios delinquentes puniri juberet, aut quasi in aliis delictis, præter adulterium, non pariter ad honorem & favorem matrimonii provocari posset, nam & tunc esset res favorabilis. Non ergo unum idemque est, si de dirimendo & si de impediendo matrimonio agatur. Priori casu intercessio effectum habet, prout supra ostensum, non vero posteriori. Sane si hoc principium valeret: *intercessioni innocentis personæ indulgendum est, quia alias impeditur matrimonium*; tunc sane paucissimi cœlibes poena condigna affici possent post accedentem alterius intercessionem, quia alias matrimonium semper impeditur. Sed quis non videt absurditatem. Taceo quod ejusmodi matrimonia raro felicem eventum habeant, cum in eo, qui a supplicio hac ratione liberatur, sincerus amor ergaintercedentem vix deprehendatur, sed propterea sèpius in matrimonium consentiat, quia ex duobus malis minus eligendum esse putat.

## §. XLIII.

Succedit questio de puella, aut meretrice, pro fure, qui ad supplicium ducitur, intercedente, num scilicet talis intercessio furem ab ordinaria poena liberare queat? Notabilis hic est casus, quem Enoch Glaserus in tract. de gratia delinquentibus facienda caus. 35. & ult. ex Speidelio, & ex Glasero Heyser Prax. crim. P. 1. c. 10. §. 10. adducit, daß als ein ungestraites Mensch einst vor einen Dieb/ so ist gehencket werden sollen/ gebethen/ dieser lieber sterben/ denn in solche Heyrath willigen wollen/ deswegen er auch den Scharfrichter immer ermahnet/ mit der Straße fortzueilen/ den Strick zuzuziehen und ihn mit dem häßlichen Anblick nicht lange zu quälen. Hic ergo invito non obtrudebatur

tur beneficium, sed petito furis ex voto deferebatur. Sed forte non omnes fures ita delicati sunt.

## §. XLIV.

Quid ergo, si fur acceptet intercessionem? (ubi notat Keyser d. l. interdum accidisse, daß solche Weibes-Büder den Dieben / wenn sie zum Galgen geführet worden / nachgegangen / sie zur Ehe begehret / und wohl gar die Strike / damit sie gebunden gewesen / aufgeschnitten /) Refert Julius Clarus qv. 98. n. 6. in Hispania & Gallia intercessionem effectum habere, quod idem in Consultatione Electoris Palatini de Anno 1682. tit. 70. haberit dicit, v. Keyser d. l. imo, sunt non pauci, existimantes, Reum plane dimittendum & puella in matrimonium perenti tradendum esse, v. quos citat Carpzov. qv. 88. n. 23. Reperimus tamen apud Par. de Puteo de Syndicatu verb. pœna n. 2. § 3. quod hoc ad folas meretrices restringat in lupanari publico existentes, qualém, si delinquens tollere velit, executorēm impediri debere afferit.

## §. XLV.

Addit interim Paris de Puteo d. l. Hispani practicant quod sic, de jure non reperi, nisi quia ad hoc facit cap. inter opera. 20. X. de sponsal. ubi textus, quod omnia peccata remittuntur ducenti in uxorem meretricem & illam à lupanari extrahenti. Quemadmodum vero de hoc cogitandum esse dicit ipse Paris de Puteo: ita dictam opinionem recte, jam rejecerunt alii & inter eos ipse Carpzov. d. l. n. 25. seqq. ubi optime ait, non esse, quod quis favorem matrimonii urgere velit; qui licet magnus sit, Reum tamen ad mortem damnatum a pœna liberare nequeat, præsertim cum velamento matrimonii poena criminis intermitte non debeat, l. 27. C. ad L. Jul. de adult. ac licet charitatis opus exerceat, qui

qui pia intentione de lupanari dicit uxorem, atque hoc bonum opus sit, Deoque gratum & prosperitatem mereatur; quod tamen exinde non sequatur, quod in Reip. præjudicium liberationem à poena præstet, v. Gometz tom. 3. vnr. resol. de delict. c. 13. n. 37. Prorsus vero absurdum est, quod Benedictus Vadus in apostilla ad d. Ior. Par. de Puteo illustratio-  
nis gratia addit, non esse scilicet culpandum, quod quis meretricem in uxorem ducat, quia hoc Prophetæ Oseas etiam fecerit. Quæ enim illatio a facto Prophetæ ad ho-  
minem sceleratum, qui per matrimonium cum meretrice condignam poenam evadere intendit. Ergo non solum poenæ promeritæ homo sceleratus subjiciendus, sed in-  
meretricem quoque animadvertisendum esse putamus, si ita importune intercesserit, prout in §. præc. adlatū, wann sie die Stricke / damit der Dieb gebunden / aufzuschneiden sich unterstehet. Sane, venerationi sexus muliebris hic nihil indulgentum erit.

## §. XLVI.

Obstare tamen videtur iis, quæ hactenus asseruimus, quod scilicet in l. 6. ff. de appellat. Ulpianus pronunciet, non tantum ei, qui ad supplicium dicitur, provocare permitti: verum alio quoque nomine ejus, non tantum, si ille mandaverit, verum quisquis alius provocare voluerit: neq; distingui, utrum necessarius ejus sit, necne: Credo enim, inquit, humanitatis ratione omnem provocantem audiri debere: ergo & si ipse adquiescit sententia: nec quarimus, cuius intersit. Verum respondeamus, aliud esse pro nocente intercedere, aliud vero ejus innocentiam per modum appellationis deducere. Prius fit, si nulla defensionis causa adest, de quo nos agimus; posteriori au-  
tem, si momenta defensionis adhuc suppetunt, id quod ad praesenterī scopum nostrum non pertinet, & de quo tamen Iesus in adducta loquitur.

## §. XLVII.

## §. XLVII.

Apud Romanos quondam recepta erat hæc intercessionis species, qua Reus damnatus à Collega ejus, qui sententiam tulerat, morti eximebatur, sicuti & alias inter Tribunos alter alteri, plures uni, aut unus pluribus intercedebant, Petr. Heig. P. 2. quest. 24. n. 65. qua de re Petrus Aërodinus in Pandect. rer. Judicat. l. 2. tit. 9. c. 14. ita: *Vulgo, inquit, in Jure dicimus, pars in parem non habet imperium.* Quid igitur est, quod a Decemviro ad Decemvirum appellabatur? *urrum,* quia sponte sibi cedebat invicem, moderationis captanda causa: atq[ue] ut populus Röm. dum haec aquitate Tribunitii auxiliū non peneraret, odio consulū Decemviris, quod affectabant, prorogaret imperium? Sane de jure suo decedebant, nam revera creati erant sine provocatione. Et paucis interjectis: *Quid dicemus?* Certe quod ad Tribunos plebis attinet, nihil mirum, si alter alteri, plures uni, aut unus pluribus intercedebant. Nam ideo creati erant, ut aduersus omnes Magistratus jus auxilii haberent, itaq[ue] multo magis aduersus se invicem, si quid seditione, si quid inutiliter agerent. Verum illud intercessionis genus mutato statu Reipublicæ hodie plane incognitum est.

## §. XLIX.

In *Cardinalibus* tamen aliquid peculiare & notabile deprehenditur, quod quodammodo hoc referri posse videatur. Scilicet post alios resert Paris de Puteo d. tr. de Syndic. *Verb. pœna. n. 2.* eos habere ex confvetudine, quod si obviuant damnato ad mortem, possunt eum liberare, nam *glossa in l. 1. ff. de offic. Pref. Pretor.* Cardinales instar Regum esse ineptit. Alios tamen Clericos, vel Monachos hoc non posse addit idem Paris de Puteo. Sed *quid de ipso Papa?* Putamus in illis locis, ubi jure supremo gaudet, jus liberandi delinquentes ipsi denegari non posse, quamvis hoc potius per

per modum dispensationis, quam intercessionis fiat. Lubet hic incidenter adducere casum ex eodem Autore, propriis ejusdem verbis, qui forte non ingratius erit benevolentio Lectori. Accidisse, dicit, quod cum quidam nobilis Romanus fuisset condemnatus ad mortem, dixit hic, se velle ex causa necessaria alloqui Papam Johannem Neapolitanum. Quod cum Senator ei hoc permisisset, ille damnatus, cum fuit coram Papa, dixit: *Si tu vis me decapitari facere, ego non sum dignus ista pena, sed es dignus tu, qui es Papa, & majora crimina commissi.* Propter quod Papa indignatus mandavit Senatori, quod eum decapitaret, quo auditio ille damnatus exclamavit: *quod Papa sit irregularis, quia mandaverit hominem occidi,* (v. c. 30. caus. 23. qu. 8. c. 5. X. *Ne Clerici vel Monachi secularibus &c.* qui textus tamen hic male applicati) & in tantum clamavit super irregularitate Papae, quod fuit liberatus, ne diceretur, Pontificem propterea irregularitatem incurrisse. Alios Autores idem referentes adducit Benedictus Vadus in *Apostilla ad d. l. Par. de Put.*

## §. XLIX.

Quia Cardinalibus, prout dictum, ius liberandi delinquentes adscribitur: hinc Andreas de Isernia in *proxam. Conflit.* majori ratione *Regum filii* idem ius competere dicit, ut nempe, si obvient condannato ad mortem, ipsum liberare possint. Sed hoc tamen dubium esse, agnoscit, ipse Paris de Puteo *loc. alleg.* Quod enim Cardinales attinet, hoc ex speciali consuetudine profluit, talern vero consuetudinem in filiis Regum non vigere dicit, ipsi ergo tenentur facere iustitiam, & non debent executioni iustitiae obviare. Idem de *Augusta* sentiendum esse putamus. Omnia enim hic dependent à voluntate ejus, quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi, prout alias dici solet.

E

§. L.

Egimus hactenus per integrum fere disputationem, de eo casu, quando intercessio sine à persona, cui per delictum injuria illata est, sine ab illa, quā delictum non tangit, apud judicem inferiorem facta est. Pauca nunc addamus de intercesione apud Principem ipsum suscepta, quae vel per literas, vel oretenus etiam, & sēpiuscule quidem ita, ut intercedens in terram sese profernat, durch einen Fußfall/fieri solet. Talis intercessio cuilibet regulariter permitta & in quolibet criminе, (casus exceptos habuimus supra § XI. usq; ad XVI.) regule tamen prudentiae exigunt, ne quis præsertim si delinquenti consanguinitate, aut alio vinculo junctus non est, promiscue pro quibuslibet delinquentibus & facinorosis hominibus intercedat, alioquin enim ipsorum criminum patrocinium suscipere velle videretur, qui facinorosos meritis poenis subtrahere intercesione vellet, v. Heig. P. 2. qu. 24. n. 64. quo pertinet illud Horatian.

*Quem cui commendes etiam atq; etiam affice, ne quem  
Incurians aliena tibi peccata pudorem.*

Quod si vero iusta causa adest & necessitas aliquem urget, tunc putamus laudabiliter eum facere, qui intercesione sua alteri succurrere allaborat. Illustrē sane ejus rei exemplum in ipsa S. Scriptura deprehenditur de Regina Esther pro populo Iudaico, cuius extirpatio sine causa decreta erat, apud Regem Artaxerxem, conjugem suum, intercedente. Sed & hoc simil notandum est, qua ratione dicta Regina precibus ad Deum directis sese anteā præparaverit, cum ipsi cognitum esset, corda Regum & Principum in manu Regis Regum esse & humc eadem pro benignitate sua flectere posse, prout Ipsi clementer placuerit, vid. Stück in Esther v. 19. seqq. Und die Königin Esther schreit sich auch zum Herrn in solchem Todeskampf = = = & pau-

& paulo post: Gedende an uns HErr/und erzeige dich in  
unser Noth/und stärke mich HErr/du König aller Göt-  
ter und Herrschäften. Lehre mich/wie ich reden soll für  
dem Löwen/und wende sein Herz/dass er unserm Feinde  
gram werde/et c.

§. LI. Illud vero notatu dignum est, quod quamvis  
cuilibet regulariter intercedere liceat, intercesiones tamen  
pro criminosis, ab Ecclesiasticis præfertim non facile fieri  
debeant, si delictum per se animadversione dignum & sine  
scandalo & Reip. injuria impunitum relinqui nequit, Petr.  
Theodor. *Colleg. crim. disp. 10. th. 4. lit. q.* Heig. *P. 2. qu. 24. n. 59.*  
Allegat uterq; Autor in hunc finem *c. 3. cauf. 14. qu. 6.* ubi  
ita Gregorius: *Hi, qui in furtis publicis implicati sunt, a no-  
bis non videantur injuste defendi, ne opinionem male agentium  
ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus;*  
*sed quantum decet Ecclesiam, admonendo & verbum interces-  
sionis adhibendo, quibus valetis, succurrите: ut & illis opem fe-  
ratis & opinionem sancte Ecclesia non inquietis.* Ubi ex ver-  
bis: *quibus valetis, colligunt, intercessionem ab Ecclesiasticis*  
tunc quidem fieri posse, si causa dubia est, & forte in-  
culpatus antea probæ & innocentis vitæ fuit, non autem, si  
manifeste improbus, quia hoc casu per intercessionem  
opinio sanctæ Ecclesia inquinaretur.

§. LII. Interim tamen Leontius Episcopus Symma-  
chum per intercessionem suam liberasse legitur & quidem,  
quod valde peculiare, in crimen perduellionis. Aërodius  
in *Pand. rer. judic. l. 7. tit. 7. c. 4.* de hoc exemplo sequentia  
tradit: *Justior fuit accusatio Symmachi, illius eruditiss Senatoris.*  
*Theodosio pugnante adversus Maximum, rebellem, tyrannum &*  
*manifestum, orationem babuerat, scriperat, de laudibus atque*  
*imperio Maximi. Nam ea re studium suum, sed & conjuratio-*  
*nem adversus Gratianum, Valentinianum & Theodosium palam*

pro-

profitebatur. Tamen cum ad Ecclesiam confugisset, Theodosius cum religione, tum precibus Leontii Episcopi, (ad eo pii, addit Āerodius, erant sacerdotes, ut etiam pro Ethnici supplicarent,) deniq Symmachii fama atq; cruditione motus, reum liberavit.

§. LIII. Et sic ex hoc etiam exemplo adparet, Summi Principis arbitrio relietum esse, an & quando etiam in gravissimis delictis & non obstante prohibitione de non intercedendo ante facta, intercessioni innocentum aures clementes præbere velit; quando non. Hoc enim est illud eminens jus, quod aggratiandi titulo communiter denotare conserverunt Legum interpretes. Circa quod hoc unicum in præsenti saltē cum Pufendorfio d. Off. b. m. & tiv. l. i. c. 2. §. 9. quoad regulas prudentie monendum censemus, cavendum scilicet esse, ne promiscue & citra gravissimas causas dispensatio fiat, quoniam alias hac ratione autoritas Legum convellitur, dum sub spe consequenda gratia eo securius in scelera ruunt improbi homines, imo & invidiae atq; indignationi inter subiectos ansa præbetur. Interim quæstio: in quibus pœnis Principi jus aggratiandi competit, & in quibus non? ad præfens nostrum institutum non pertinet principaliter, unde B. L. ad ea, quæ ab aliis hic moneri solent, remisisse sufficere potest.

§. LIV. Quod reliquum est, ad Salvatorem humani generis supplex me converto, velit & pro me apud Patrem suum cœlestem intercedere, quò omnes conatus studiaque mea cooperante Spiritus S. gratia in futurum ita dirigam, ut in ipsis gloriam, Ecclesiæ etiam & Reip. veram salutem atque emolumentum aliquando cedere posint.

T A N T U M.

Halle, Diss., 1706 (-Si)

ULB Halle  
001 651 349

3



SLB





1706 13av 78

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**INTERCESSIO-**  
**NE INNOCENTUM,**  
Quam  
DEO TER O. M. ADVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO VVILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE, CETERA,  
IN  
ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R Ä S I D E  
**JACOBUS FRID. LUDOVICI,**  
J. U. D. P. P. & Fac. Jurid. Adseß.  
*Ad d<sup>o</sup>XII April. MDCCVI. H. L. Q. C.*  
Placido Eruditorum examini submittit  
**IMMANUEL Niß/Stargardia Pomeranus.**  
Typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.